

# L U C R E T I A N A

Scribae codicum Lucretii poematis in fine duorum versuum se excipientium idem vocabulum aliquotiens iniuria repetendo posuerunt, cuius erroris nunc nonnulla exempla dabo (1,67. 1,720. 2,1168. 3,358. 5,677). Accedunt praeterea aliae emendationes et demum duo studia, alterum «de quomodo Horae a Lucretio describantur», alterum «de Lucretio Puteolano». Sed iam ad varia critica veniamus.

## I.—LUCRETII VARIA CRITICA

*1, 66 primum Graius homo mortalis tollere contra  
67 est oculos ausus primusque obsistere coram...*

In extremo versiculo 67 falsum illud alterum «contra» emendavi pro quo «coram» posui; nam in verbo «obsistere» iam syllaba «ob» actio resistendi contra aliquid vel aliquem indicatur eo modo ut «obsistere contra» bis idem exprimat «sistere contra contra», quae locutio puerilis certo displicet; laudabilis vox autem «coram» habenda videtur; quod differt ab adverbio «contra» hac ratione: Epicurus (=Graius, Graecus homo) oculos suos mortales contra deos in caelo habitantes proterve tollere et *coram* hominibus aequalibus Graecis contra famam deorum (1,68) et contra religionem disputans obiurgator obsistere ausus est; discrimen tamen inter «contra» et «coram» ita optime explicatur: «contra» pertinet ad caelites (=deos); «coram» spectat ad terrenos homines; Lucretius vero in Epicuro duas partes distinxit: privatam opinionem Epicuri deis adversariam et publicam eius aggressionem religioni communi infestam; propterea «tollere contra» et «obsistere contra»

eundem sensum finemque haberet; poeta saltem «coram» scripsit, quod «corā» abbreviabatur; falso «cōra» legebatur, in «contra» recipiebatur; sed «coram» unice verum est.

1,720 «angustoque fretu rapidum mare dividit omnis  
721 Aeoliae terrarum oras a finibus eius».

In fine vs 720 ponendum est «omnis» (=accusativus pluralis pertinens ad «oras» 721) pro falsa codicum scriptione «undis»; nam ex se intellegi potest mare Siciliam insulam ab oris Aeoliae (=Italiae meridionalis) undis, non lignis nec lapidibus neque aliis rebus separare; superfluum igitur est illud alterum «undis» (post primum «undis» 719) quod solummodo ex antecedenti versu 719 iniuria repetitum est; error certe codicum hoc modo exortus videtur esse: primo recte «omnis» scriptum est, quod brevi scriptura ita apparebat in charta signatum *om vel on*, quae litterae in formam *ondis* perperam resolvebantur; «ondis» deinceps formae vs 719 «undis» assimilabatur; sed «OMNIS» utique postulatur; quo adiectivo numerali clarissime tota ora Italiae maritima a Sicilia seclusa cognoscatur; cf 1,1000 «mare terras terminat *omnis*».

2, 1168 «tristis item vetulae vitis sator atque vacivae  
1169 Temporis incusat numen caelumque fatigat...»

Ultimum verbum versus 1168 debet ita scribi «vacivae» pro falso «fatigat» quod in codicibus legitur; nam illam priscam formam «vacivae» scriba codicis plane ignorans ex sequenti versu 1169 cepit «fatigat», quod verbum hoc loco sententiam destruit; sed similes litterae ponendae sunt, quae exstant in illo adiectivo «vacivae» quod idem ac «vacuus» significat et ad «vetulae vitis» aggregandum est; quo facto sensus optimus recuperatur; agricola enim «incusat numen Temporis» (1169), id est deum; «Tempus» est Iupiter Kronos ( $\tau\zeta\rho\omega\nu\zeta$ ) codices quamquam «nomen» exhibent, tamen errant nescii syllabam longam «o» antiquitus etiam duabus litteris «ou» scriptam esse, unde cognoscitur litteram «u» confundi et mutari potuisse pro littera «o»; sed certum est loco vs 1169 solum de «numine»; id est deo agi; cf. 1, 154 «divino numine».

2,991 «*denique caelesti sumus omnes semine oborti*».

Vocabulum in hoc versu extremum a codicibus falso ita traditur «*oriundi*»; cuius loco illud verum «*oborti*» his de causis ponatur oportet: forma vocis «*oriundi*» manifesto contra praeceptum artis metricae peccat; hanc vocem scriba codicis desperatione quadam impulsus adhibuisse videtur pro alio simili vocabulo quod pariter vitio metrico laboravisse apparet; nam in finibus quidem versuum crebro menda verborum codicibus exhibentur; quoniam scriptio versiculi 2,991 (in fine) sine dubio planissima «*oborti*» iudicanda est, librarius quidam aliquando codicem describens solum simplex verbum «*orti*» scripsit; quod ipsum breviore numero syllabarum rei metricae non sufficiebat; quapropter alias scriba postea adiectivum «*oriundi*» (pro «*orti*») ad metrum melius supplendum arcessebat; re tamen vera «*oborti*» iam primitus a poeta ipso scriptum esse opinione evidentius cognoscitur; nam e forma «*oborti*» maiusculis litteris exarata (OBORTI) prima syllaba «*ob*» (OB) per haplographiam ante «*or*» (OR) similitudine litterarum (OB-OR) oblivione periit, ut modo «*orti*» relinquatur; quam formam «*orti*» metro minorem librarius ad alium eiusdem verbi modum scribendi sic transformabat, ut «*oriundi*» (pro «*orti*») locaret et fluxum ac dulcedinem versus violaret. Rectae vero formae «*oborti*» testimonio sunt eiusdem Lucretii duo loci 6,587 et 6,869: «*obortus*» eadem ratione in versu extremo collacatus eademque vi significandi ornatus; unde summo iure etiam in versu 2,991 poeta ipse «*oborti*» scripsisse putari potest; hac igitur emendatione tandem offensio metri tertia remota est.

3, 12 «...aurea dicta,

13 laurea, perpetua semper dignissima vita».

Lucretius Epicurum propter doctrinae dicta praedicat, quae «*aurea*» (12) «*laurea*» (13) «*semper dignissima vita perpetua*» honorantur; in principio versiculi 3,13 «*laurea*» restitui, ubi litera initialis L a scriba omissa est; ita nempe postulatur ut vox plena scribatur «*laurea*» (non iterum «*aurea*»); neque enim ulla

necessitas adest, qua illud «aurea» (12) etiam in versu 13 secundum ponatur; figura certe rhetorica, quae ἀναδιπλωσίς vocatur, ideo reiectanea est, quod illud «aurea» (12) semel positum ad aestimanda Epicuri placita plane sufficit; praeterea ultima laus, qua «semper dignissima vita perpetuā» magistri dicta putantur, est tertia gradatio elationis verborum Epicuri; unde manifestum fit secundo laudis loco non idem attributum «aurea» (12) repeti licere, verum aliud adiectivum statuendum esse, quod profecto solum «laurea» esse potest; quae vox («laurea») a scriba non intellecta tamen optime ad illud «dicta» adnecti quit, cum «laurea dicta» significet «semper virentia et vigentia dogmata»; ultiro idem vult exprimere «triumphalia dicta», quia «Epicurus ...genus humanum ingenio superavit» (3, 1043); cf Plinius NH, 7, 30, 117 de Cicerone iudicans «primus... linguaeque lauream merite»; denique «laurea» dicta revocat eam sententiam, quam Goethe «Faust» ita formavit: «und gruen (laurea) de Lebens goldner (aurea) Baum». Quibus iam expositis sequitur ut pro certo hanc lectionem (3,13) habeamus: «...aurea dicta

laurea, perpetua semper dignissima vita».

3,172 «...terraeque petitus

173 *salvus...*»

Ad illud «terraeque petitus» attributum tale poscitur, quo exprimatur casum ad terram sine damno effici posse; pro codicum voce «suavis» (173) melius «salvus» collocandum videtur esse; nam librarius illud «suavis» saepius a poeta hedonismi fauatore usurpatum etiam hoc loco sponte sua ob eam causam adhibuit, quod litterae utriusque adiectivi («salvus» et «suavis») facile commutari poterant; insuper autem «suavis» magis ad partes animi ac mentis quam ad membra corporis spectat; propterea «salvus» (173) scribere praestat.

3, 239 «nil horum quoniam recipit mens posse creare

240 *sensiferos motus quae tam vemente volutat*».

Lucretius atomos mentis tractans dicit mentem idem esse

atque animam; in mente tria saltem elementa continentur: aura ( $\pi\nu\varepsilon\mu\alpha$  232), aer ( $\dot{\alpha}\gamma\rho$  233), calor ( $\pi\tilde{\nu}\rho$  234). Mens quidem (auctoritate τοῦ γέμενονχοῦ fungens) admittit et concedit nullum horum trium elementorum (232. 233. 234) seorsum sensiferos motus (=sensationes,  $\alpha\iota\sigma\theta\gamma\zeta\epsilon\iota\zeta$ ) creare posse, dum mens ipsa illos sensiferos motus diligentissime absorbet; quibus verbis versus 239 et 240 satis explicati videntur, ut iam ad textum emendandum liceat transire; vox principalis et dominans est «mens» (239), quam duo verba, sequuntur: «recipit» (239) et «volutat» (240); in versu 240 «quae» (ex mutila forma «quaedam») pertinet ad illud «mens» (239), ut «quae... volutat» apposito relativa ad illud «mens» (239) recte se habeat; at reliquae litterae «damquaemente» scriptione continua depravatae sic in formam integrum restitui debent: «dam» nihil aliud nisi «tam» est, quod scriba cum «quae» antecedente in unum vocabulum «quaedam» iniuria contraxit; «tam» autem ante adverbium stat, quod primo «vaemente» scriptum est pro recta forma «vemente»; et hoc «vemente» est forma contracta adiectivi «vehemens» (cf Lucretius 3, 152. 6, 311); scriba vero litteris VAE-MENTE non intellectis simpliciter «quae mente» sibi finxit, quod sensu prorsus caret; porro tamen necessarium est «vemente» explicare; nam est forma adverbii *ablativo* expressa; ut enim «raro, sedulo, temere (frustra) etc.» formae ablativi sunt et adverbii loco usurpantur; ita etiam «vemente» Lucretius hic metri causa pro «vehementer» adhibuit (cf Lateinische Grammatik ab M. Leuman-I.B. Hofmann, Muenchen 1928) 197. 468 «adverbiale Erstarrung von Adjektiven im Ablativ»); quemadmodum ad «sedulo, raro etc.» supplendum est «modo», ita «vemente» scilicet «modo» subintellegendum est; quia «sensiferos motus» obiectum commune (=ἀπὸ κοινοῦ) est, propterea illi versus 239 et 240 antea nequam neque recte explicabantur; structura certe totius sententiae hac ratione potest explanari: mens, quae sensiferos motus (=αἰσθήσεις) tam vemente (scil. modo = tan vehementer) volutat (=ad cogitandum arripit), admittit a nullo iam horum trium elementorum ( $\pi\nu\varepsilon\mu\alpha\tauο\zeta$  άέρος πυρός) sensiferos motus seorsum et singulatim posse creari.

Ergo denique oportet scribatur 3,240: «sensiferos motus quae tam vemente volutat».

3, 357 «*perdit enim quod non proprium fuit eius in aevo,*  
*357 multaque praeterea perdit, cum expellitur alvo».*

Corpus anima elapsa omnes sensus perdit; praeter quinque vel sex sensus multas alias proprietates et qualitates idem corpus amittit, cum anima alvo (id est: corpore) expellitur; hoc modo scribendum est: «alvo» pro falsa forma «aevo»; nam anima postquam corpus reliquit, porro exsistit, quoniam nihil in nihil resolvitur; ergo anima solum ex alvo effugit, non ex «aevo»; propterea in vs 358 scribatur opus est «cum expellitur alvo»; (scilicet: anima); «multa» (in primo loco vs 358) significat hoc: corpus sensibus perditis amittit vitam; vim intellectivam et nutritivam, vigorem, motum, valetudinem, pulchritudinem et fit cadaver.

3, 593 «*saepe aliqua tamen e causa labefacta videtur*  
*594 ire anima ac toto solvi de corpore prompta».*

In fine versus ille 594 his verbis «omnia membra» abundat, quae ex versu 596 a scriba sursum sumpta sunt; sed una tantum voce duarum syllabarum ibi opus est, quae optime ita sonat «*prompta*»; nam ab illo adiectivo «*prompta*» infinitivus «*solvi*» regitur; «*prompta*» igitur (quasi participium) correspondet antecedenti participio «*labefacta*» (593); ideo «*prompta*» (594) iure in textum verborum recipi potest.

3, 633 «*haud hilum per se possunt sentire neque esse*».

Pro falsa codicum scriptura «*auditum*» scribendum esse arbitror «*haud hilum*»; nam illa hominis sensoria quinque: oculi, nares, manus, lingua, aures seorsum non possunt sentire sine anima neque ullum sensorium potest esse ipsa anima; ergo secundum Lucretii opinionem anima nihilum est; hoc «*nihilum*» poeta metri causa his duabus voculis «*haud hilum*» expressit, quas post «*aures*» (3, 632) in vocabulum «*auditum*» hoc loco prorsus ineptum scriba quidam commutavit consentaneum autem videtur esse «*haud hilum*» optime in conclusionem argumentationis Lucretii quadrare negantis quidquam animas sentire et esse.

4, 78 «*namque ibi consessum caveai super et omnem  
79 scaenai speciem patrium marmurque deorum  
80 inficiunt...»*

Lucretius ad doctrinam simulacrorum illustrandam partes theatri describit, quod Pompeius Romae die duodecimo mensis Augusti anni a. Chr. n. 55 inaugurarari iussit (cf. W. Drumann: Geschichte Roms IV (Leipzig 1908) 526-529; ultiro H. Jordan-Chr. Huelsen: Topographie der Stadt Rom in Altertum 1 3 (Berlin 1907) 524-530). Poeta externum et internum aedificium exponens postremo «deorum» (4, 79) mentionem ita facit «patrum matrumque deorum»; quae verba editores nondum perfecte interpretari potuerunt; agitur enim de theatro lapideo, non ligneo; ut columnae (cf Jordan-Huelsen pag. 529) lapide pyrrhocilo (cf Plinius Nat. Hist. 36,63) constructae sunt, ita deorum quoque simulacula eodem marmore cofecta sunt (cf. Ovidius «Amores» II 7, 3 «marmorei... theatri»); hac ratione adducimur ut in his duabus vccibus «patrum matrumque» materiam qua deorum imagines fiebant exquiramus; per facile quidem est «patrum» in «patrium» restituere, quod idem est ac «patriorum» pertinens ad illud «deorum» ut habeamus «patriorum ...deorum», quorum simulacula «marmorea» formata sunt; ergo nihil aliud relinquitur nisi ut falsissimum illud «matrumque» corrigamus in formam rectam «marmurque»; pauca denique addenda videntur; ad «patrium»= «patriorum» spectant di patrii, quos Cicero saepius laudat in orationibus Verrinis IV 11. 17. 18. 94. 132. 151. orat. Philipp. II 72. 75. harusp. resp. 37. cf. Vergilius Aen. 2, 702. Tibullus 2, 1, 17. cf. RE «patrii di»; RE «deus» col. 908, 38. De voce «marmur» vetustae Latinitatis cf. Quintilianus 1, 6, 23 ubi Antonius Gniphō laudatur, qui «etiam marmur fatetur esse». Plutachus porro in vita Pompeii cap. 42, 9 de theatro Pompeii loquitur. Vocem «marmorque» iam ante me A. Brieger proposuit, quam prisca forma «marmorque» ob *caveai* (76), et *scaenai* (79), ita reddidi, quod via erroris codicum («matrumque») demonstratur; sed Brieger erravit scribendo «Parium» (=Parium marmorque) loco «patrium»; neque enim ex insula Paro illius theatri Pompeiani marmora Romanas trasvecta sunt, immo ex Aegypto, maxime e lapicidi-  
7.—HELMANTICA.

nis Syenae, quapropter illud marmor «lapis syenites» vocabatur (cf Plinius Nat. Hist. 36, 63); postquam «patrum (pro recto «patrium») librarii scripserunt, statim aliud mendum «matrumque» consequeretur oportebat, quia «marmurque» non iam scribis notum erat. Ad extremum igitur hoc modo rectissime legitur 4, 79: «scaenai speciem patrum marmurque deorum...»

4, 283 «...sed ubi im speculum quoque sensimus ipsum,  
continuo a nobis in eum quae fertur imago  
pervenit...»

In versu 283 «im» nihil aliud nisi «eum» reprezentat; illa forma prisca «im» a scriba non iam intellecta statim stupidissime per «in» reddita est, quae praepositio hoc quidem loco intellectu atque lege grammatica vacat; vox «speculus» in versu 4, 283 est masculini generis, ut elucet e sequenti versiculo 284 «in eum»; hoc loco «in» pendet recte a verbo «fertur»; «speculus» autem «item genere masculino usurpatur atque aevus» 2, 561. 3, 605. «caelus» 2, 1097; «fretus» 6, 364; tunc hac formula «eum ipsum speculum» accusativus antecedens «speculum» clarissime et satis graviter intonando repetitur; et metri causa «im» pro «eum» ponendum erat. Hac igitur ratione vocula codicibus perperam tradita «in» postremo in iustum integritatem formae verae «im» restituta est.

4, 593 «...omne  
594 *humanum genus est avidum nimis auicularum...*»

Pro eo, quod codices praebent «auricularum» exarandum est vocabulum «auicularum» sine littera «r»; vox illa quidem «avicula» etiam «auicula» scribi et pronuntiari poterat; haec forma deminutiva ad metrum hexametri complendum necessaria fuit pro consueta voce «avium»; avis autem (et «avicula») significat etiam «omen» vel «oraculum»; ergo «auicularum» per figuram metonymiae vel transnominationis positum est pro vocabulo «oraculorum» vel «ominum»; ii vero qui codices describabant, voce communissima «auricularum» sponte sua falso «r» inserendo utebantur; de significatu avium cf. Thesaurus linguae la-

tinae s. v. «avis» 1436, 71. Epicurei oracula spreverunt; cf. Cicero de divinatione I 3, 5 «reliqui vero omnes (philosophi) praeter Epicurum... divinationem probaverunt»). De pronuntiatione formae «auricularum» haec dici possunt: Varro «de lingua latina» 8, 79 affert hoc: «avis, avicula, aucella» unde coniectari licet etiam «auicula» dictum esse, praesertim cum «u» et «v» eadem littera maiuscula «V» scriberentur; cf. etiam «auceps» cum iam in versu 4, 594 «auicularum» legitur, longa syllaba metro flagitata adest; cf postreno Theodor Birt: «Sprach man avrum oder aurum?» Rhein. Museum 52 (1897) Ergaenzungsheft; praeterea: W. Corssen: Ueber Aussprache; Vokalismus und Betonung der lateinischen Sprache I (Leipzig 1868) 632.

4, 1057 «iamque voluptatem praesagit mota cupid».

Poeta postquam delicias corporis puerorum et pulchrarum mulierum descripsit; talibus adspectibus virum affici refert; visibus enim et cogitationibus illorum hominum formosorum cupid orta et mota est, ut haec excitata cupiditas iam voluptatem praesentiat; quibus rebus praesumptis necessario sequitur solum illud «mota» scribendum esse pro falsa codicum scriptione «muta»; certo quidem illud «muta» in hac descriptione cupiditatis omni valore caret; «mota» autem propterea iudicari rectissima lectio debet, quia litterae O et U haud difficulter inter se pronuntiatione confunduntur et quia olim littera longa O et longa U hac forma diphongo «OU» sine discrimine scribebatur.

Porro in eodem versu (4, 1057) primo «iamque» statui oportet, cum «namque» erratum sit; hac enim sententia non causa indicatur, cur illa cupido adsit, immo potius consecutio evenus illorum adspectorum corporum lepidorum exprimitur et sumnum punctum temporis, quo concupiscentia ad actionem transitura est; persimili sane loco (4, 1106) sic legitur: «iam cum praesagit gaudia corpus»; adverbio «iam» temporali posito animus attenti lectoris ad syllabam praefixam «*praे*» verbi praesagiendi trahitur; postremo haec esse debet lectio versiculi 4, 1057: «iamque voluptatem praesagit mota cupid».

4, 1282 «ut facile insuescat secum quem degere vitam».

Deest syllaba longa in hoc versu; quae vox a verbo «insuescat» pendet et in accusativo casu debet stare; vocula «te» autem ab Hermanno Diels proposita improbanda est, quoniam illud «te» in hoc carmine semper Memmum significat; hoc autem loco satis in honesto huius versus (1282) re vera dedecet Memmum introducere et subintellegere; quapropter «quem inserere iustum est, quae pronominis forma idem atque «aliquem» valet.

5, 485 «(terram) extrema ad limina opertam...»

Ultimum huius versus vocabulum debet ita scribi «opertam» pro falsa codicum scriptione «partem» qua hic intellectu caret; terra illa nempe abdita indicatur quae «ad extrema limina» iacet; illud «opertam» post «limina» littera initilia O perdita «pertam» factum et in «partem» vocalibus permutatis deformatum est; nunc tandem versus (485) extremus in formam integrum vocabulo «opertam» salvatus est.

5, 677 «namque ubi sic fuerunt causarum exordia priva  
676 atque ita res mundi cecidere ab origine prima,  
679 consequē quoque iam redeunt ex ordine certo».

In clausula versus 677 «priva» scribi necesse est pro illo pravo «prima»; profecto non abest suspicio quin librarius quidam illud rectum «priva» mutaverit in «prima» sequenti versu 678 respecto «ab origine prima»; sed dici debet «causarum exordia priva» (677); nam singulis causis singula exordia conveniunt; tales causae anterioribus versibus afferuntur:

*arbusta florescunt* (670); *dentes excidunt* (672); *impubes pubescit* (673); *fulmina, nix, imbræ, nubila, venti* (675); propterea certo «exordia priva» lectio verissima iudicatur; porro hypallage adiectivi (677) adhibetur; nam «priva» pertinet ad «causarum» ita ut intellegatur «causarum privarum exordia»; «exordia prima» verum esset «pleonasmus; adiectivum «privus» a Paulo Festo pg. 252, 20 ita explicatur: «privos privasque

antiqui dicebant pro «singulis»; ad hoc addendum est in adiectivo «privus» etiam prioritatem temporis (= prius) inesse; etenim «singulum» (ut simplex) prius est quam «compositum»; ergo rectissime se habet 5, 677 «causarum exordia priva».

5, 747: «*rodit Hiems sequitur crepitans hanc dentibus algi*».

Ita sententia nova incipit et sic integra restituenda est; verbum enim «redit» prave codicibus scriptum in hanc formam rectam «rodit» mutandum est; nam «rodit» sequentibus voculis «*dentibus algi*» postulatur et ad subiectum «Hiems» pertinet; qua de causa «rodit» unice iustum est; alterum autem verbum «sequitur» hunc prope sensum formae «persequitur» gradationis instar habet; in hoc quidem versu adest figura, quae vocatur «*hysteron proteron*»; etenim ordo verborum «rodit» et «sequitur» convertendus solum metri necessitate relinqu, ut nunc est, debet; obiectum utriusque verbi est «hanc» (= Brumam 5, 743); ad illud «rodit» primo «*dentibus algi*» trahatur oportet, ubi «algi» genitus est sicut «vulgi» (a «vulgus») formatur; deinde ad idem «rodit» pertinet «crepitans»; ideo quod Hiems (= «Hora») numen naturae nihil creantis est, poeta istam Horam deletricem addendo epitheton «rodit» repraesentat. Error denique falsae scriptioonis «redit» ex perfacili confusione litterarum O et E ortus est vel ex capite librarii, qui illud «rodit» non iam cum Hieme coniungere poterat. RODIT vero egregie in hunc verborum textum quadrat.

5, 1189-1192: *in his versibus complura menda inveniuntur.*

1189 ita scribendum est: «lux et luna»; ubi codices «nox et luna» praebent; sed cum in versiculo sequenti (1190) legatur «nox et noctis...» (1190) «noctivagaeque» (1191), respectis tot locis ubi «nox» occurrit, saltem semel vim «solis», id est, «lux» commemorari aequum est;

1190 verisimile est divinare «luna dies» scilicet, *luna = lucida*.

1192 certe legendum est «nubila sal imbres...»; ubi «sal» (pro-falso «sol») idem valet atque «aqua»; nam in his versibus 1192-1193 non iam de astris, sed de temporis aerisque eventibus et

aquae speciebus agitur, cum in versibus 1189-1191 de elemento ignis sermo sit; ergo 1192 «sal» etiam pro «rōre» potest accipi; sed forma litterarum codicibus traditarum paene tota salvatur scribendo «sal». Omnino tamen iste locus 5, 1192-1193 nihil nisi acervus vocabulorum et artis poeticae expers iudicari debet.

*5, 1190: «lena dies et nox...»*

haec scriptio («lena adiectivum idem fere significans ac «laeta») multo elegantior veriorque videtur esse quam vox codicibus tradita «luna», quae hoc ipso loco haud dubie intellectui et sensui grammatico repugnat.

*5, 1391 «...nam tum sunt omina cordi».*

Homines in pratis campisque sedentes et cibis satiati et cantibus sonisque fistularum delectati ad colloquia promptissimi videntur; in his sermonibus ludibundis animi rerum novarum cupidi sunt; nam quemadmodum ex versu 4, 594 perspicuum est «humanum genus est avidum nimis auicularum», ita hoc quoque loco 5, 1391 «omina» (pro falso «omnia») restituendum est; qua voce («omina») novae res exhibentur; nam «auiculae» (4, 594) idem sonat atque «omina; oracula» = res novissimae et ignotae; nunc vero in codicibus saepe scriptionem earumdem litterarum «omina» et «omnia» commutari constat; hoc autem loco (5, 1391) solum «omina» verum esse cognoscitur.

*5, 1442 «tum mare velivolis florebat propter oporas».*

Nullum dubium est quin hoc loco de messibus (=oporae, ὄπωραι) e regionibus orientalibus in Italiam (ad portum Puteolos, coloniam Graecam) transmittendis agatur; in isto quoque versu extremo sicut in numerosis versiculis aliis mendum scribendi in ultima voce exstitit; si quis de vocabulo «velivolis» praeterea dubitans miratur, quippe quod tamquam substantivum usurpetur; admonendum est lege grammatica etiam neutrum adiectivi aequa ac substantivum adhiberi solere, id quod maxime poetae metri necessitate coacti faciunt; quicumque ve-

ro illud «velivolis» (scilicet: naviis) non recte intellegit, tamen poetam difficultem, qualis est Lucretius, interpretari nequit.

6, 490 «*tam magnis modulis tempestas atque tenebrae...*»

In hac sententia de immani magnitudine tempestatis (=ventorum) et tenebrarum simul existentium agitur; voce tamen «montis» a librariis codicum mutilata iam abundantia ingens tempestatis et tenebrarum contineri debet; quae magnitudo «modulis» exprimi potest; nam «modulus» idem valet ac «modus», quibus vocabulis quantitas, copia, maximitas ut ita dicam ostenditur; forma diminutiva «modulis» metri necessitate flagitata nulla ratione vis nominis minuitur; praeterea «modulis» brevi quadam scriptura (fortasse MODIS cum linea supra D) expressum postremo ad formam corruptam «montis» evasit; ad extremum vero necesse est ita scribere «*tam magnis modulis...*»

5, 49 «*quae fuerint, sint placato conversa pavore...*»

Agitur de nubibus quae ventis pulsantur et moventur; ille nubium motus vehemens etiam «pavor» vocari potest, quia id quod pulsatur, etiam tremit atque cietur; hac igitur ratione «pavor» tamquam motus trepidus intellegi potest; itaque bene «pavore» hoc loco (6, 49) scribitur pro falso «favore»; litterae enim P et F facilline inter se confunduntur.

6, 219 «*quod superest, quanam natura praedita constent  
220 fulmina, declarant ictus...*»

Ante vocem «natura» omissum est «quanam» propter haplographiam syllabarum «nam» et «natura»; ut patet ex litterarum similitudine; ita lacuna ante voculam «natura» comode expleta videtur esse.

## II.—"HORAE" QUOMODO A LUCRETIO DESCRIBANTUR

«Horae» (*Ὥραι*) quattuor divinitates vel numina tempestatum apud Lucretium cognoscuntur: Ver, Calor, Autumnus, Hiems; in libro 5, 737-747 illae «Tempestates» (=«Horae») documento afferuntur certissimum semper ordinem creandi a natura observari: 5, 737 in Ver: 5, 741 sequitur Calor (=Aestas) aridus. 5, 743 Autumnus adit. 5, 747 Hiems sequitur.

Inde quod Ver (5, 737) una cum Venere dea genitrice prodit, apertum est etiam Ver hoc loco tamquam divinitatem accipi; «Hora» igitur Ver ibi habetur et proinde ceterae Tempestates (5, 744=«Horae»): Calor (quod nomen metri causa loco «Aestatis» ponitur), Autumnus, Hiems; tales autem divinitates magna (non parva) littera initiali (=maiuscula) scribendae sunt; cui dearum choro respondet enumeratio earundem «Horarum» (excepta Hieme) in libro 1, 174-175, ubi «Tempestates» (=«Horae») 1, 178 ipsae item maiuscula littera initiali atque 5, 744 exarandae sunt; versibus enim 1, 176-177 eadem certitudo naturae creantis exhibetur; «quia suo tempore certa semina rerum confluxerunt»; *creare* vel *producere* in libro 1, 175 hoc verbo «*funderē*» redditur; rosa Vere (1, 174), frumenta Calore (1, 174), vites Autumno (1, 175) feruntur; illud autem participium «*vadente*» (1, 175) ad tres ablativos «Vere, Calore, Autumno» pertinet, quibus figurae divinae «Horarum» in vasis vel pateris vadentes (in museis archaeologicis) representantur; propterea «*vadente*» in textu (1, 175) ponendum est; nam illae «Horae» vadunt ad Dionysium deum dona (flores, frumenta, vites) fermentes; quemadmodum in libro 5, 737-747 verba eundi («it, sequitur, adit») adhibentur, ita pariter in libro 1, 174-175 verbum *vadendi* usurpatum; hac de causa vox codicibus tradita «*sudente*» sensu cassa videtur; etiam hac ratione «*vadente*» explicari potest: dum unaquaeque «Tempestas» (=«Hora») vadit (=tempus praeterit anni et consumitur et durat), certi fructus naturae producuntur.

Lucretius certe illas Tempestates vel Horas ex carminibus antiquis et ex picturis monumentisque cognoscere potuit; nam Hesiodus (in «theogonia» 901 ss.) et Homerus «Horas» lauda-

verunt; in *Odyssea* 9, 135 illae frumenta offerunt; in *Odyssea* 24, 344 vites praebent; iam de his rebus cf. Pauly-Wissowa RE s. v. «*Horai*» col. 2300-2313, ubi «*rosae*» 2309, 48 et 2311, 64 commemorantur atque «*vites*» 2312, 14; denique huiusmodi divinitates («*Horae*») *vadentes* 2310, 21 indicantur.

### III.—DE LUCRETIO PUTEOLANO

Cum Lucretium *Puteolanum* appellamus, non Puteolis illum natum, sed ibidem aliquamdiu moratum esse affirmamus, id quod his de causis permoti demonstrare possumus:

Lucretius loca Averna lacumque Avernum (6, 738 et 818) explicaturus est; illa tamen loca prope lacum Avernum sita quae putantur, sunt cum primis Cumae, Puteoli, Neopolis. 6, 747 nobis Cumae occurunt; illi autem loco «apud Cumas, ubi montes acri sulpure oppleti calidis fontibus aucti fumant» (6, 747-748), est nomen Puteoli, quae urbs Puteoli 6, 762 etiam sub forma «*Poteis*» clarissime refertur; nam illa vox «*Poteis*» codicibus optime tradita est ablativus formae vulgaris «*Potei*» pluralis pro «*Puteis*», et «*Potei*» idem hoc loco significat ac «*Puteoli*» (quae est forma deminutiva); eadem civitas ita «*Potei*» etiam per ironiam a poeta nominata videtur, ut opinio illius populi superstitiosa illudatur. Ex istis Lucretii testimoniis effici potest verisimillimum esse poetam ipsum aliquando Puteolis versatum camposque Phlegraeos regionesque sulpureas diligenter observasse; Cicero quidem, cuius consuetudine et familiaritate Lucretius usus videbatur esse, apud Cumas praedium Cumanum villamque habebat (cf ad Quintum fr. 2, 14, 1. ad fam. 16, 10, 1. ad fam. 12, 20); unde nihil obstat, quin auctor Epicureus etiam in illo Cumano Ciceronis hospitio colloquiisque frueretur philosophicis. Porro licet adiungere proxime a Cumis portum rei publicae Romanae maximum fuisse Puteolos, quo permulti philosophi Graeci appellebantur et post adventum in illa ora maritima prope viam Appiam residebant spe adducti sese ab aliquo senatore Romano vel praceptorum ad liberos educandos vel socium disputationum vel bibliothecarium

in villam arcessi. Ita evénit, ut etiam apud Puteolos in multis Romanorum opulentorum villis tot Epicurei invenirentur, inter quos excellebat Siron, qui ipse propriam villam Puteolis possebat. A Cicerone valde aestimabatur Siron, qui illum Romanum tam illustrissimum virum in Campania apud Cumas cognovit, ut opinor, simul cum Philodemo Epicureo, cuius scripta et libri ab aliis philosophis compositi in ruinis Herculaneis reperiebantur, Ciceronis amicitia utebatur, id quod peropportune in praedio Cumano fieri poterat; negari ultro nequit etiam Lucretium cum Sirone, magistro doctrinae Epicureae, Puteolis vel Cumis apud Ciceronem congregadi ad philosophas disputationes potuisse. Accedit Lucretii locus 4, 1160-1169, ubi puellarum nomina Graeca proferuntur, quas nautae ex terris orientalibus Puteolos appulsi adire solebant; Puteoli, quae urbs a colonis Graecis condita Dicaearchia olim vocabatur, maiorem partem ab incolis Graecis habitabantur. Ita illae quoque puellae apud Lucretium obviae Graecae fuisse videntur, quas poeta ipse observabat; in illo portu praeterea templum Veneris stabat; atque via Appia per hoc municipium ducta erat, ut multus commeatus in hac urbe etiam e pagis exsisteret; ab omnibus igitur partibus Lucretius rerum hominumque naturas Puteolis aliquique vicinis in vicis conspicere atque cognoscere potuit. His causis allatis perquam verisimile putamus Lucretium ipsum aliquod saltem tempus Puteolis commoratum esse.

EMIL ORTH.